

/ Illustrissime Domine

Dum elapsis proxime diebus visitationi domiciliorum nostrorum quae sunt Avenione, operam meo navarem ex munere, a R/do Patre Vice Inquisitore cujus apud omnes est spectatus zelus vitaeque probata, rogatus fui ut interesssem cuidam circa horrendas in Rabbiorum libris qui passim in toto comitatu Venaissino ab Hebraeis feruntur detectas atque ad sacrum ejus tribunal delatas blasphemias consultationi. Interfui, et coram Ill/mo Prolegato nec non R/mo hujus urbis Archiepiscopo sum quaesitus, num è nostra provincia aliquem suppeditare possem qui atrocitas illa commenta in omnia christianorum sacra sacrosque Antistites nec non supremum Ecclesiae praesulem a Rabbiniis deprompta, valeret recognoscere. Negavi posse me, mihi que ullum à discessu P. Laurentii d'Aurilliac linguae hebraeae in hac provincia professoris et in Talmudicis utcumque versati, qui missus Constantinopolim non ita pridem est, superesse, qui possit cum dignitate loca illa lustrare et num ea contineant quae arguuntur tuto testari. Quanquam idem pater d'Aurilliac ante suum à nobis discessum loca aliquot ex illo numero per transennam (urgebatur enim ad navigandum) recognovit, et blasphema esse comperit atque testatus est. Quoniam vero R.P. Vice-
Inquisitor optat me testem esse non modo publicum apud augustum sacrae Inquisitionis senatum cui purpurati patres praesunt, ad quem meum de sua in conquirendo perito homine diligentia testimonium mittit, sed apud Ill/mam Dominationem Vestram cui non ignorat cordi esse accuratam harum blasphemiarum inquisitionem et exterminium, voluit esse privatum, perlubens id suscepi muneris, non parum etiam de oblata mihi ansa vestram Ill/mam Dominationem humillime salutandi laetatus. Quam universae Ecclesiae perutilem, Societati quoque nostrae perhonorificam, incolumem diu sospitemque servari merito apud Deum precari pergo quotidie. / V/ae Illustriss/ae Dominationis / Humillimus in Christo servus / Ant. Suffrenus provincialis in prov/a Lugdun Avenione 2 Decembris 1614.

Arch. Vat.

Gesuit.

18=56.

Si risponda, che ho riferito, quanto la R.V.mi scrive à questo santo Offitio. (adresse): Illustrissimo Domino D. Cardinali Belarminio. R...